



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

297. Qualiter hæc ipsa quoad hæreticorum, eorúmque credentium &c. filios ac nepotes sint limitanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

Questio 293. Quid dicendum hac in parte de hereticis?

1. **R**espondeo primò: illos esse ineligibiles ad beneficia, officia & praelaturas Ecclesiasticas indirectè; quia nimirum ipso facto excommunicati. *c. Achatus 24. q. 1. c. quicumque. de heret. in 6to. c. vovent. de sententia excom.* Item quia irregulares. *Sanch. in sum. l. 2. c. 25. Sylv. v. irregularitas. q. 5. Suarez. de cens. d. 43. f. 1. num. 2. Garc. de benef. p. 11. c. 10. num. 80. Peyr. loc. cit. num. 72. Farinac. de heresi. q. 189. num. 43. Item quis infames. c. infames. 6. q. 1. c. excommunicamus. de heret.*

2. Respondeo secundo: etiam directè & per se, praesumendo ab omni censura aliòve impedimento canonico ad Ordines suscipiendos iure canonico sunt incapaces, & inhabiles ad omnes dignitates, officia & beneficia Ecclesiastica, ita ut eorum ad ea electio & promotio hoc ipso iure sit nulla, & confirmatio facta ab eo, qui in iure canonico dispensare nequit, irrita. *c. statutum de hereticis. & c. quicumque eod. tit. in 6. Pass. loc. cit. num. 64. & 68.*

3. Respondeo tertio: prohibentur quoque iure divino ad ea eligi, seu promoveri, ètque eorum ad hæc promotio iure divino cassanda; & dato validè talem electionem confirmari à Papa, non tamen id fieri licet, sumitur ex illo 1. ad Timoth. 3. *hereticum hominem devita;* Officiales autem & Prælati vitari non possunt, nec debent. *Pass. num. 66. & 68.*

4. Respondeo quarto: non est tamen electio heretici, ejusdemque Electionis confirmatio iure divino nulla; non enim existat lex divina talis irritans positiva; sed neque divina naturalis; ex quo enim hereticus characterem baptismalem habet, capax est spiritalis potestatis, tam Ordinis, quam jurisdictionis; validè enim hereticus recipit Ordines, & sacerdos hereticus in causa extremæ necessitatis validè absolvit; adeoque ex iure divino non est irrita collatio talis potestatis, si detur, vel electio ad talem potestatem habendam, si ad eam eligatur. *Suar. de fide. d. 21. f. 5. n. 9. & 14. Sanch. loc. cit. c. 9. num. 10. Sylv. v. confessor. q. 19. & 20. Pass. num. 67. & 68.*

Questio 294. An, & qualiter hæc locum habeant in heretico converso & occulto?

1. **R**espondeo primò: hereticum publicum, etiam post reconciliationem cum Ecclesia, manere inhabilem ad beneficia & officia. *Castrop. p. 1. d. 4. p. 5. num. 2. vide Farin. de heresi. loc. cit. num. 82. & q. 393. num. 66.* Quin imò idem dicendum de occulto; hereticus enim occultus per se irregularis est, & inhabilis ad officia & beneficia, à qua irregularitate, & inhabilitate vi præcisè absolutionis non liberatur, sed ad hoc necessaria est specialis dispensatio. *Pass. loc. cit. num. 65.*

2. Respondeo secundo: Electio heretici purè mentalis, & per se occultus, non solum non iure divino, sed nec ex iure canonico, ipso facto est irrita, cum talis heresis sit extra iudicium Ecclesie, adeoque si confirmetur, est valida. *Pass. num. 69.* ubi tamen prodierit heresis extra mentem, talis etiam antecederet electus & confirmatus iure canonico antiquo privatus erat omni jurisdictione. *D. Tho. 2. 2. q. 39. a. 3. Suar. de fide loc. cit. num. 12. & 15.* Modò tamen post Constit. Martini V. de qua supra, in heretico occulto tolerato, licet per accidens simul toleratur quoad alios potestas jurisdi-

ctionis; unde absolutio data à tali per se est valida, non secus ac data ab excommunicato non denunciato. *Suar. & Pass. ll. cit.*

Questio 295. An, quæ dicta sunt in hoc puncto, extendenda quoque sint ad credentes, receptatores, defensores & fautores hereticorum horum, & illorum filios & nepotes?

Respondeo affirmativè; sic enim expressè & directè iis omnibus irrogatur poena illa inhabilitatis ad officia & beneficia Ecclesiastica. *c. quicumque. de hereticis in 6. ibi: heretici autem, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur, quòd si secus factum, decernimus irritum & inane.* Præterea credentes fautores (secus est de eorum, uti & hereticorum filiis) subduntur huic poenæ indirectè quoque, nimirum ratione excommunicationis, quam incurrunt vi bullæ cœnæ, & c. excommunicationis. *de heret. & c. noverit. de sentent. excomm.*

Questio 296. Quinam hic vocentur credentes, fautores, receptatores, defensores hereticorum?

1. **R**espondeo primò: illos dici credentes hereticorum, qui in confuso illorum errores credunt, quatenus nimirum credunt eos esse viros bonos, & habere bonam fidem, ad distinctionem illorum, qui distinctè eorum doctrinam amplectuntur. *Suar. de cens. d. 21. f. 1. n. 6. Sanch. in decal. l. 2. c. 10. num. 2. Sa. v. hereticus. num. 11. Ugol. de cens. p. 2. c. 1. Pass. loc. cit. num. 70.*

2. Respondeo secundo: nomine fautorum, receptatorum, defensorum ut condistorum à credentibus hereticorum hic veniunt illi, qui favent hereticis, qua talibus, seu quia talem doctrinam profitentur, iisque ad eam docendam, propagandam, defendendam hospitium, auxilium, defensionem, similève quid præstant; quod ipsum facere quis potest ex aliquo interesse suo tanquam sine extrinseco, absque eo, quòd sit credens hereticorum, adeoque etiam independentè à tali credulitate falsa, uti etiam independentè ab eo, quòd vel hoc ipso suspecti habeantur de heresi, vel tali errore (suspecti enim tantùm de heresi non incurrunt poenas hereticorum. *Garc. p. 11. c. 20. num. 87.*) subduntur dictæ poenæ inhabilitatis aliisque. *Suar. loc. cit. num. 4. Sanch. loc. cit. num. 4. Nav. c. 27. num. 55. Pass. num. 71. & 72.* Non verò dictis nominibus veniunt, adeoque nec dictis poenis subduntur, qui hereticis ad sustentandam vitam, vel titulo amicitiae, vel ex alia rationabili causa donant aliquid, vel succurrunt. *Pass. ibid.*

Questio 297. Qualiter hæc ipsa quoad hereticorum eorumque credentium fautorum filios & nepotes sint limitanda?

1. **R**espondeo: sic esse limitanda. Primò, ut locum in iis non habeant, si Parentes respuerint Ecclesie reconciliati. *c. statutum, de heret. Less. l. 2. c. 34. num. 123. Azor. p. 2. l. 6. c. 4. q. 1. & 2. Garc. loc. cit. num. 83. Peyr. in præl. q. 2. c. 5. num. 77.* tenetque idem, etiam si Parentes ante peractam poenitentiam obierint. *Pass. num. 75. citans Peunam. Tolet. Farinac. Verum tamen*

etiam si parentes post relapsum denuo egerint poenitentiam, manent tamen eorum filii ineligibiles ad officia publica. Suar. *loc. cit. num. 3.* Peyr. *loc. cit.* Sigism. à Bon. *dub. 79. num. 7.* Pass. *num. 76.* citans alios.

2. Secundò, ut dicta inhabilitas extendat se ad secundam generationem solum in viris, non in foeminis, ita ut patris hæretici ex filio etiam non hæretico filius sit infamis & ineligibilis, non verò ejusdem ex filia non hæretica filius, uti nec matris hæreticæ ex filio non hæretico filius, *cit. c. quicumque, & c. statutum.* Sanch. *in sum. l. 2. c. 27. num. 2.* Bonac. *de cens. d. 7. quest. 3. p. 7. num. 9.* Azor. *p. 1. l. 8. c. 13. quest. 8.* Less. *loc. cit. num. 121.* Pass. *num. 74.*

3. Tertio, ut extendatur non nisi ad filios & nepotes parentum, quorum hæresis vel fautoria hæreticorum est notoria notoreitate vel facti vel juris, vel per propriam confessionem factam in iudicio, vel per sententiam iudicis. Less. *loc. cit. nu. 121.* Peyr. *loc. cit. n. 8.* Sanch. *in decal. l. 2. d. 27. n. 28.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 4. q. 3.* Suar. *tom. 5. in 3. p. d. 43. f. 3. num. 2.* Sayr. *de cens. l. 6. c. 10. nu. 40.* sumitur ex *c. statutum*, ubi requiritur, ut hæretici tales esse probentur; in iure autem illud probatum dicitur, quod aliquo ex dictis modis est notorium, Pass. *n. 79.* Quinimò non extendi ad filios eorum, quorum hæresis quidem notoria notoreitate facti, quia tamen conversati & decesserunt inter hæreticos, infamiam non incurrunt, tenent Sanch. *loc. cit. nu. 28.* Henric. *l. 14. de irregul. c. 5. n. 4.* Sa. *V. hæresis. n. 4.* quod tamen reprobat Pass. *n. 82.* citans Suar. eò quòd hæresis semper generet infamiam apud quoscunque bene sentientes, & notoreitas facti non requiratur, ut generans infamiam, sed ut manifestans rem, ita ut exinde censentur probati hæretici.

4. Quarto, ut non extendatur ad filios suspectorum de hæresi, (nisi fortè ideo suspectorum, quia fautores & receptatores sunt hæreticorum. Pass. *num. 81.* quamvis nec horum filii puniantur, quia eorum parentes suspecti de hæresi, sed quia favent hæresi (cum lex illa pœnalis, puniens in filiis peccatum parentum ultra expressa in lege extendi non debeat. Sanch. *loc. cit. nu. 29.* Farin. *de hæres. q. 191. n. 67.* Sigism. à Bon. *dub. 79. n. 4.* & alii contra Azor. *p. 2. l. 6. c. 4. q. 3.*

5. Quintò nec ad eos filios, qui parentes hæreticos denunciant inquisitoribus. Sanch. *loc. cit. nu. 30.* Pass. *n. 83.* citans Simanc. *Rojas, Pennam & c.*

6. Sextò juxta Pass. *n. 84.* contra Molin. *d. 68. n. 19.* Sanch. *loc. cit. n. 29.* Peyr. *loc. cit. nu. 80.* & alios nec ad filios eorum, qui damnati sunt ut hæretici ob solam contumaciam etiam verè ac propriè talem, etiam si eorum statua combusta sit, citra tamen quod eorum hæresis probata sit in iudicio: per hoc enim, quòd tales in iudicio Ecclesiæ, & in tribunali S. officii habentur & damnantur pro hæreticis, plus non habetur, quàm quòd suspecti de hæresi contumaces sint præsumptivè, & per fictionem juris hæretici; jam verò tales non sunt unice & simpliciter hæretici, sed solum analogicè, & secundum quid, adeòque in constitutione pœnali, in qua innocentes puniuntur ob delictum alterius, non debet nomen hæretici extendi ad significationem hanc impropriam & analogicam. Præterea licet contumax in iure reputetur confessus, tamen hæc confessio non nocet hæredibus, *l. ejus qui delatorem. ff. de jure fisci.* Bart. *in l.*

cum filius familias. ff. de verborum oblig. & sententiâ lata in contumacem neminem infamet. Surdus. *vol. 2. cons. 173. n. 100.* Nec in crimine læsæ Majestatis pœna patris damnati non nocet filiis, Rôland. *vol. 4. cons. 29. n. 21.* & alii, nisi delictum in processu probatum, de quo casu intelligendi, qui id negant. Gigas *tr. de crim. læsæ majest. l. 3. tit. c. 9. n. 3.*

7. Septimò ut dicta inhabilitas non respiciat beneficia filii acquisita, antequam pater incideret in hæresin, vel antequam hæc fieret notoria, saltem notoreitate facti, ita ut iis privati aut privandi non sint post, & propter subsécutam patris hæresin. Abb. & Felin. *in c. vergentis. de hæret.* Covar. *l. 2. variar. resol. c. 8. num. 4.* Dian. *p. 4. tr. 8. resol. 76.* Suar. *de cens. d. 43. f. 3. n. 2.* Sanch. *in decal. c. 28. n. 28.* citans Lancell. Julium clar. Marr. de Affl. & alios. Pass. *n. 85.* referens plurimos, alios contra Jo. And. *in c. ut commissi. de hæret. in 6to. Garc. p. 11. c. 10. n. 77.* Lavor. *c. 16. nu. 74.* & plures alios citatos à Sanch. dicitur enim *c. quicumque, de filiis hæreticorum; ad beneficia non admittantur, & c. statutum:* illi igitur non sunt admittendi ad beneficia, quorum patres probati sunt hæretici, vel in hæresi decessisse. Jam verò beneficiati ante hæresin patrum, cum non fuerint admittendi, sed admissi tunc, cum non erant hæreticorum filii, non sunt beneficiis tunc adeptis privati, aut privandi. Bullæ autem Pontificum in contrarium citari solita intelliguntur juxta communem contextum *in cit. capitibus.* & sic loquuntur semper de beneficiis obtentis post patrum hæresin, cum enim non exprimaunt beneficia adepta ante crimen paternum, sed generaliter loquuntur de adeptis, generalitas illa intelligi debet de iis beneficiis, quæ contra jus obtenta sunt, qualia sunt quæ post patrum hæresin acquisita sunt, ita ferè ad verbum Pass. *n. 85.* Limitandum tamen hoc ipsum est ita, ut etiam privandi sint beneficiis obtentis ante notoreitatem, seu probationem hæresis paternæ, si beneficium obtinuerint ad preces patris, vel etiam alterius cuiuscunque, quem filius & collator sciebant esse hæreticum, licet id nondum esset notorium, & plus, vel aliud non vult *c. quicumque. §. ad hæc.* Suar. *loc. cit. n. 2.* Sanch. *loc. cit. nu. 31.* Pass. *n. 87.*

8. Octavò juxta Sanch. *loc. cit.* limitanda sunt dicta, ut non conveniant filiis conceptis ante hæresin paternam, ita ut ii non sint inhabiles ad obtinenda beneficia, nec privandi obtentis, etiam post condemnationem patris: imò juxta Less. *loc. cit.* Bonac. *loc. cit. n. 10.* Simanc. *tit. 29. n. 14.* Ledesim. & c. nequidem de filiis natis ante hæresin paternam. Verùm cum jus commune loquatur absolute & absque distinctione filios hæreticorum, quales & isti sunt, reddat inhabiles, rectius utrumque negant alii. Pass. *num. 78.* & 88. quoad secundum Dian. *p. 4. tr. 8. resol. 74.* Garc. *p. 11. c. 10. n. 79.* Barb. *in c. 15. de hæred. in 6to.* Covar. *l. 2. var. resol. c. 8. §. 5.* Peyr. *loc. cit. n. 79.* Suar. *loc. cit. n. 2. & c.*

Questio 298. Qualiter dicta sint extendenda ratione beneficiorum & officiorum, ad quæ filii hæreticorum, eorundemque fautorum & c. sunt inhabiles?

1. **R**espondeo primò: ut nomine beneficiorum etiam veniant pensiones Ecclesiasticae, & harum quoque dicti filii sint incapaces. Gigas *de pension. q. 94. n. 7.* Sanch. *in decal. l. 2. c. 28. nu. 36.* Garc.